

pter Christum esse in numero salvandorum. Ergò non confundar.

Sequuntur canones de medio dictico è prædicamentali serie. Probatio dictica è prædicamentis.

1 *Positâ substantiâ propriè dictâ, ponuntur accidentia, & vicissim.*

Ratio 1. Quia substantia propriè dicta est creata; & quia creata, composita; & quidem composita è subjecto & accidente. 2. Quia accidentia nullo modo esse possunt extra subjectum inhærentiæ. Procedit igitur consequentia: Alexander est substantia. Ergò præditus est accidentibus. Et: Alexander est præditus accidentibus. E. est substantia. Item: Maxima in illâ civitate vitia grassantur. E. & ibi sunt homines. At non valet: Deus est substantia. E. illius omnipotentia est accidens. Ratio: quia Deus dicitur substantia analogicè, καὶ ὑπόληψιν ἡμῶν.

2 *Quidquid ex entibus absolutis recipit contrarietatem, item magis & minùs, est vel qualitas, vel actio, vel passio.*

Ratio canonis est: Quia nulla substantia, nulla item quantitas recipit contrarietatem, vel magis & minùs: sed sola qualitas, & actio, itemque passio, per & propter qualitates. Sic calefactio & frigefactio sunt actiones contrariæ, quia calor & frigus sunt contraria. Et aliquid magis vel minùs calefacit, prout magis vel minùs calet, seu calidum est. Rectè igitur sic disputo: Eruditio recipit magis & minùs. Ergò est vel qualitas, vel actio, vel passio. Item: Binarius non recipit magis vel minùs. Ergò est vel substantia, vel quantitas. Item: Homini nihil est contrarium, quatenus est homo. Ergò est vel substantia, vel quantitas.

3 *De quo dicitur aliquid relativè, de eo dicendum est, quòd sit etiam ens absolutum.*

Ratio: Quia relatio fundatur in absoluto aliquo. Hinc rectè colligo: Istud est pater. Ergò vel substantia, vel accidens absolutum.